



Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

34. Henricus IV. Imp. dona, per Comites Hollandos Ecclesiae Vltraiectinae ablata, eidem anno 1064. restituit, interuentu Friderici, Godefridi & Gerardi, Ducum Lotharingiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

strum infregerit, pro contemptu nostro, & temeritate sua, mihi, vel heredi meo XL. marcas argenti persoluet, & Ecclesiam, quod suum est, restituet.

Aetum est hoc apud S. Audomarum, praesente coniuge mea Ade- 1046.
la, filiis meis Balduino & Roberto, Bouone Abate S. Bertini, Hugo-
ne, Arnulpho de Aldenarda, Reingoto de Gand, anno Domini
M. LXIII.

N O T A T I O .

ADELA) Roberti Francorum Regis filia, Balduino Pio Flandriæ Comiti duos filios genuit, Balduinum cognomento Montanum, & Robertum Frisium: quorum hic fit mentio. De ijs vide nostra Stemmatum Principum Belgij cap. 19.

C A P V T X X X I V .

*Henricus IV. Imp. dona, per Comites Hollandos Ecclesia Ultraiecti-
nae ablata, eidem anno 1064. restituit, interuentu Friderici,
Godefridi & Gerardi, Ducum Lotharingie.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HENRICVS diuina fa-
uente clementia Rex. Notum esse volumus omnibus in Christo fidelibus, tam praesentibus quam futuris, qualiter nos ea dona, quæ iniuste ablata fuerant sancte Dei Ecclesiæ Traiectensi à Theoderico Comite, eiusque filiis, tempore Adelboldi eiusdem sedis Episcopi, pro quibus & Imperator Henricus, & avus *Conradus*, & pater noster Henricus plurimum laborauerunt, plura bella fecerunt, nos quoque nostrique fideles multum laboris impendimus:

Notum, inquam, esse volumus, qualiter ea ob remedium animæ nostræ, & patris nostri Henrici, aliorumque antecessorum nostrorum, interuentu quoque & consilio Principum nostrorum, Annonis Colonensis Archiepiscopi, Siegfridi Moguntini, Euerhardi Treverensis, Athalberti Bremensis, Burchardi Halberstadiensis, Friderici, Godefridi, Gerardi, Ducum, aliorumque nostrorum fidelium, nec non ob fidele seruitium Vilhelmi, eiusdem sedis Episcopi, redidimus & restituimus, & regali auctoritate eidem sanctæ Ecclesiæ confirmamus.

I 2

Data

1064. Data V. Nonas Maij, anno Dominice Incarnationis millesimo sexagesimo quarto. Actum Werdæ.

NOTATIONES.

F R I D E R I C V S) Dux Lotharingiæ inferioris, in ordine sextus, hoc ipso anno 1064. obiit, non relicta prole mascula.

G O D E F R I D V S) Barbatus senior, primùm Dux fuit Lotharingiæ superioris seu Mosellanae. Ab Henrico Imp. ob rebellionē an. 1047. Ducatu priuatus, in Italiam se contulit, ibique Beatricem, Frederici II. Ducis Mosellani filiam, Bonifacij Tuscæ Marchionis viduam, matrimonio sibi iunxit. Ex Italia demum redux, in gratiam Henrici Imp. quoque rediit, & Frederici iam nominati Ducatum Mosellanum ab eodem Imperatore obtinuit. Itaque anno 1064. neutrum Ducatum Lotharingicum tenuit. Dux tamen nominatur in diplomate, ob Ducatum Lotharingiæ inferioris posselsum, & ob Ducatum seu Marchionatum Tuscæ in Italia acquisitum, ratione matrimonij cum Beatrice contracti.

G E R A R D V S) Alsatius an. 1048. ab Henrico III. Imp. creatus est Dux Lotharingiæ superioris seu Mosellanae, & an. 1070. obiit. De Ducibus istis plura qui volet, Stemmata Principum Belgij à nobis edita consulat.

C A P V T X X X V.

Lietbertus Cameracensis Episcopus Abbatiam S. Sepulcri (quæ est est Benedictinorum, olim extra, nunc in urbe Cameracensi) anno 1064. fundat ac dotat.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. LIETBERTVS Cameracensis Ecclesiæ Episcopus, dilectis successoribus suis Episcopis, & omnibus Christi fidelibus prosperos utriusque vitæ successus.

Temporibus prædecessoris mei domni GERARDI sanctæ memorie Episcopi, exorta fames in regionibus nostris adeò inualuit, ut morientium corpora capere non valerent ecclesiastica cœmeteria Cameracensis vrbis.

Incidit igitur huic prædecessori meo rationabile consilium, ut extra